

præjudicare Legitimæ filiorum, nec renunciare dispositioni *dict. l. si unquam*, favore filiorum introducere: & sic multo minus possit tacita, aut præsumpta, voluntate, eisdem præjudicium inferre in Legitima, ut cum iudicio advertit Gregorius Lopez in *dict. l. 8. partita*, & contra Bernardum Diaz, latius defendit Joannes Gutierrez *dict. cap. 9. n. 3. & tribus seqq.* Barbosa *1. part. l. 2. ff. soluto matrimonio, n. 166.* admitti tamen potest quoad hoc, ut revocatio non fiat in eo, quod excedit Legitimam filiorum postea natorum, cum donator de liberis cogitavit: idque evidenti, & clara ratione; nam in hoc casu cessat ratio, propter quam in totum donatio revocari jubetur, liberis postea natis: quæ sanè ratio colligebatur ex præsumpta voluntate donatoris, qui minime donaret, si de liberis cogitasset; unde si tempore donationis, de futuris liberis cogitet, & adhuc donationem faciat, creditur eis velle præjudicare in quantum potest, quamvis in legitima non possit: quod licet non ita distinctè explicaverit, præsentire videtur Joannes Gutierrez *dict. cap. 9. n. 6. in fine*, ubi concludit, non posse patrem cogitantem etiam de liberis tempore donationis, præjudicare liberis postea nascituris saltem in Legitima, quasi sentiens aliud dici posse in eo, quod excedit Legitimam; & in idem pungit Cævallos *commun. contra commun. quest. 105. in fine*, dum firmat, renunciationem validam esse respectu renunciantis, non verò respectu filiorum, qui adversus renunciationem venire possunt. Barbosa etiam *1. part. dict. l. 2. ff. soluto matrimonio, n. 169.* qui tamen in dubio non immerito tentavit contrarium: unde fit, ut cum in casu proposito *supra, ex n. 36.* pater qui fecit meliorationem filio unico, & in ea apposuit gravamina, aut substitutiones, necessario cogiter de aliis filiis, aut descendantibus, in quorum favorem debuit illa apponere, necessario etiam, & consequenter filiorum nativitas non debeat revocare meliorationem Tertii, in quo non dicuntur filii lædi in sua Legitima, sed potius confirmavit ipsam meliorationem.

Ex his diluitur aperte secundum fundamentum *ex d. l. si unquam, & d. l. legata inutiliter*, deductum supra quia quod attinet ad Tertium, nativitas filiorum ademptionem non operatur, aliudque est, donationem revocari ex constitutione *dict. l. si unquam, C. de revocandis donationibus*: quo casu donatio extraneo facta revocatur omnino; aliud verò revocari ex titulo inofficose donationis, quo casu dumtaxat rescinditur donatio quoad legitimam portionem filiis competentem, ut ex communi tradiderunt Covarr. *variarum, l. 1. dict. c. 19. n. 12.* Baetius *de non meliorandis dotis ratione filiabus, c. 9. n. 33.* Antonius Gomezius *tom. 2. variarum, dict. cap. 4. de donatione, n. 11. in princ.* Remanet igitur conclusio firma, ut nec in favorem descendantium nondum existentium, filius unicus gravari possit, quoad tertiam bonorum portionem, sicut nec quoad Legitimam, quod tamen melioratio convalidetur, si vivo patre alii filii, aut nepotes nascantur, cum res deveniat ad casum, à quo incipere potuisset *ex dict. l. 18. & l. 27. Tauri*.

Quoad secundum verò dubium, in quo Pelæz à Mieres *de majoratu, part. 2. quest. 6. n. 39.* nihil certum ausus est affirmare, securè dici potest, quod si plures sint filii, aut nepotes tempore factæ meliorationis; tempore autem mortis, unicus tantum supervit, melioratio non valeat, & consequenter gravamina ab ea rejici valeant: ad quod dicendum, ea principaliter moveor ratione, quod dispositio, antequam plenum effectum sortita sit, ad casum devenit, à quo incipere non potuisset, ob idque corruiere debet, *l. pluribus, §. etsi placeat, ff. de verborum obligationibus*, junctis his, quæ ad ejus explanationem distinguens adnotavit Bartolus *ibidem, n. 2. & n. 4.* & Castrensis *num. 1. idem Castrensis in l. ut pomum, §. finali, n. 2. ff. de servitutibus*. Quod autem dispositio nondum effectum plenum sortita sit, ad oculum patet; nam ad ineundam æstimationem Legitimæ filiorum, consideratur tempus mortis illius, de cujus bonis Legitima debetur, *l. cum queritur, C. de inoffici-*

so testamento, *l. cum quo de peculio, §. finali, ff. ad legem Falcidiam, l. etiam, §. finali, ff. de bonis liberorum*. Idque in alio casu cum iudicio advertit Baetius *de non meliorandis dotis ratione filiabus, cap. 9. num. 19.* cum ergo tempore mortis, unicus tantum filius reperitur, omnia bona patris ei debentur jure Legitimæ, excepto Quinto bonorum, ut sæpe diximus, & consequenter convenire non potest illi melioratio, nec sustineri gravamen appositum in Tertio; quod aliis filiis non existentibus, est etiam Legitima, ut latissimè probatum est *supra*.

Unde apparet, negari non posse, quin errore manifesto lapsi sint nonnulli contententes, valere prædictam meliorationem vinculatam, eo moti dumtaxat fundamento, ut refert Mieres loco relato *supra*, quod quando effectus causæ est jam consummatus, & in esse deductus, & perfectus, causa cessante, non debet cessare effectus, *l. ultima, ff. unde liberi, l. inter stipulantem, §. Sacram, ff. de verborum oblig. & ex Tiraq. & aliis late comprobatis Mieres ipse dict. quest. 6. n. 38. & 40. fatemur enim, verum esse, quod actus semel perfectus, atque consummatus non vitietur, etiam si deveniat ad casum, à quo incipere non potuisset, per textum in *dict. l. pluribus, §. etsi placeat, ff. de verborum oblig. l. via, §. quacunque, ff. de servitutibus urbanorum prædiorum, l. non est novum, ff. de regulis juris, l. ut pomum, §. 1. ff. de servitutibus*. Secus tamen, si perfectus, aut consummatus non fuit, ex eisdem juribus, ubi sic declarant Doctores communitè, Tiraquel. *in tract. Cessante causa, limitat. 2. n. 15. & limitat. 12. ex n. 1. cum seq.* Duarenius *in l. legitima, ff. de pactis, Mainerius in l. quoties, §. 1. n. 3. ff. de regulis juris, Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 3. c. 10. n. 12.* Negamus tamen prædictum actum meliorationis consummatum fuisse, aut plenum effectum sortiri potuisse, usque ad mortem patris meliorantis, quæ spectari debuit ob rationem prædictam, ob quam non poterit amplius hac de re dubitari; & in effectu, sic etiam videtur tenere, atque in fortioribus terminis Lara in *§. item rescriptum, l. si quis à liberis, n. 63. quem vide ex n. 61.**

CAPUT XIV.

De Substitutione Pupillari.

Substitutio pupillaris, an ex rigore juris, vel ex humanitate, aut gratia fuerit introducta; non extraordinaria, vulgata potius, & in materia substitutionum agitata quæstio, sed ab Authore Inculcentius forsan, & distinctè magis, quàm antea erat, nunc explicata: ibidem adnotata nonnulla ad quæ alii non sic animadvertunt, ac denique substitutio pupillaris; an patris, vel filii testamentum, siye an duo testamta dicantur, vel unum: optimè, & breviter declaratum.

SUMMARIUM.

- 1 Substitutio pupillaris, an ex rigore juris, vel ex humanitate aut gratia fuerit introducta, & num. seqq. per totum caput.
- 2 Substitutionem pupillarem jure singulari receptam fuisse contra juris regulas, idque propter utilitatem pupilli, ex sententia multorum.
- 3 Quorum fundamenta omnia reduci debent ex sententia Authoris ad ea, quæ hoc numero recensentur.
- 4 Substitutionem pupillarem ex rigore juris introductam fuisse, non ex gratia, vel ex humanitate; ex sententia Bartoli, quæ ab Authore defenditur, & num. seqq. ubi & leges, & rationes concludentes pro hac parte expenduntur.

5 Substit-

- 5 Substitutio pupillaris, patris, an filii testamentum dicatur? Item an duo testamta videantur, unum verò tantum? ubi vera resolutio traditur, Bartoli que, Communi, & Baconii declarationes in proposito recipiuntur.
- 6 Primum, secundum, & tertium fundamentum, quæ pro sententia Jasonis urgere videbantur, dissolvuntur.
- 7 Jasonis, & sequacium fundamentum aliud diluitur, & ibidem, in proposito novæ, & vera ratio redditur ab Authore.
- 8 Politi retioni contra Bartolum noviter, & verè satisfactum.
- 9 Hujus capitis disceptationem dilucide, & distinctè magis quàm antea erat, ab Authore explicatam.

Pro expedita, absolutaque hujus Capitis explanatione, constituendum erit in primis, dubium esse non satis distinctè, ut arbitror, à Recentioribus explicatum, utrum humanam, substitutio pupillaris ex rigore juris, vel ex humanitate, aut gratia fuerit introducta? Et sanè Jason in *l. 2. ff. de vulgar. & pupill. substit. n. 1. & 2.* Albericus in rubrica, ejusdem tituli, n. 24. idem Jason in *l. 3. n. 47. ff. de legatis 1. & in l. cum quid, 2. lectura, n. 9. ff. si certum petatur*. Corrosius in *l. si in testamento, num. 3. C. de impuberum*. Marianus Socinus in *dict. l. 2. ff. de vulgar. & pupill. substit. in ea opinione sunt, ut existiment, substitutionem pupillarem jure singulari receptam fuisse contra juris regulas, idque propter utilitatem pupillorū: quam sententiam ex Recentioribus probarunt etiam Lancelotus Politus in tractatu de substitut. pupillari, num. 7. Michael Grassus, receptarum sentent. §. substitutio, quest. 18. in fine. Menchaca de successio num. progressu, lib. 2. §. 14. n. 4. Costanus quest. juris. cap. 6. num. 13. Petrus Gregorius in Syntagmate juris, lib. 42. cap. 17. n. 1. & 2. & nullo ex his relato, Alexander Trentacinquis de substitutionibus, part. 2. quest. 1. n. 7. Horum, & aliorum quorumcumque fundamenta, ad sequentia reduci debere existimo.*

In primis, jus singulare videri esse, quoniam pater pro alio, si filio videlicet, testatur, & tamen tali testandi modo jus commune resistere videbatur, quippe cum testamentum sic conditum, non sit nostræ voluntatis, hoc est, filii, sed alterius, hoc est, patris sententia, quod jus nostrum non patitur, *l. 1. ff. de testamentis*; nec quis ab alio rogari potest, ut sibi alium hæredem faciat, *l. filiusfamilias, §. ut quis, ff. de legatis 1. l. ex facto, ff. ad Trebellianum*.

Deinde, quia veteres satis constanter decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere, *l. illa institutio, 32. ff. de hæreditibus instituentibus, l. nonnunquam, 52. ff. de condit. & demonstrat. Unde, nec à voluntate patris pendere poterat factio hujusmodi testamenti, si juris communis regulas sequeremur.*

Præterea, quia de rebus suis debet quis, non de alienis, testari, *l. verbis legis, 120. ff. de verborum significatione, l. conficiuntur, §. si post, ff. de jure codicillorum, l. lex Cornelia, in fine, ff. de vulgar. & pupill. substit. authent. ingressi, C. de sacrosanctis Ecclesiis*. Negari tamen non potest, quin hæreditas filii sit cum hæreditate patris, & quod de bonis etiam filii pater ipse testetur, ac eos à successione pupilli excludat, quos pupillus ipse excludere non possit, faciatque pupillum testatum decedere, qui per ætatem testari non potest: quo modo argumentantur Petrus Gregorius, & Alexander Trentacinquis locis relatis *supra*.

Denique, nam exemplaris substitutio, certum est, quod ex humanitate inventa sit, & dicunt jura, quod ad exemplum Pupillaris fuit illa introducta; ergo & Pupillaris ex humanitate inventa fuit: sic argumentatur Politus *de pupillari, dict. n. 7.*

Sed contrariam sententiam, imò substitutionem Pupillarem ex rigore juris introductam fuisse, non ex gratia, *del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.*

tia, vel ex humanitate, rectius docuit Bartolus in *l. humanitatis, n. 5. C. de impuberum, & in l. ex facto, n. 11. ff. de vulg. & pupill. substit.* quem sequuntur Ripa in *l. 2. n. 12. ff. eodem titulo*, Lancelotus Galiaula in *l. Centurio, ejusdem tituli, n. 175.* Alciatus in Rubrica, *ff. de vulg. & pupill. substit. n. 21.* & novissimè defendunt Doctor Spino in speculo, glossa 23. n. 4. Antonius Pichardus in rubrica, *Institut. de pupillari substit. num. 15. & 16.* qui duo tacent, silentiove prætermittunt Connam: & Baconium in locis referendis *infra*. Sed ab ipsis acceperunt nonnulla, quæ in proposito adnotarunt ibidem: deinde Pichardus idem ubi *supra, n. 13. & 14.* nonnulla in confirmationem hujus partis adducit, quæ verè nihil concludunt; sic enim militant, si ex humanitate, aut gratia introducta fuisset substitutio pupillaris, quàm si ex rigore juris esset introducta: ea verò quæ tradit ipse *ibidem, dict. n. 15. & 16.* non etiam concludenter probant sententiam Bartoli, sed pro illa sanè ponderari potest textus, quem cæteri omitunt, in *l. Centurio, ff. de vulg. & pupill. substit.* in illis verbis: *Jure communi capiet*. Quæ non mediocriter urgent: deinde & vera, atque concludens ratio, quod substitutio pupillaris, licet testamentum filii impuberis dicatur, in *l. 2. in princ. & in §. interdum, ff. de vulgar. & pupill. substit.* tamen id est impropriè & fictè, ut in *§. igitur, Institut. de pupillari substit.* ubi textus inquit, *Quodammodo*. Verè enim, & propriè testamentum patris est, quamvis duæ sint hæreditates, *l. patris, & filii, l. 2. §. prius, vers. constat, ff. de vulg. & pupill. substit.* & hoc respectu, testamentum filii appellatur, quia ejus hæreditas in eo versatur, sed non propriè; id quod patet aperte, nam cum in substitutione pupillari, nulla pupilli voluntas adfit, sequitur evidenter, quod pupilli testamentum, verè, aut propriè dici non possit: id quod optimè assequutus fuit idem Bartolus in *dict. l. patris & filii, n. 2.* Quo loco in proposito dubio, an scilicet patris, & filii sint duo testamta, vel unum, latius distinguit; in effectu tamen aperte resolvit, quod si personam testantis consideremus, negari non potest, quin unum dumtaxat sit testamentum, quia unus & idem facit utrumque testamentum; respectu verò hæreditatū, duo testamta dici posse, ut ibi latius ostendit: idem etiam eruditè, ut solet, probavit Franciscus Connamus *Commentariorum juris civilis, lib. 10. cap. 8. n. 4. fol. 799.* ubi dicit, quod in pupillari substitutione, patris testantis attenditur persona, non pupilli, quoniam utriusque unum, & idem est testamentum, sic tamen, ut patris esse dicatur, non impuberis, & totum rei patris sit, cujus pars quædam, & accessio est pupillaris, ut jus hujus, & autoritas ab illo pendeat. At quia duæ sunt, & diversæ hæreditates, patris & filii testamta dicuntur, & procedit dispositio *l. si is qui ex bonis, ff. de vulgar. & pupill. substit.* Denique in eandem sententiam tendit Baconii declaratio in hac materia. Is enim *de declarationum juris lib. 4. declarat. 73. n. 6.* ad explanationem text. in *dict. §. igitur, Institut. de pupillari substit.* quatuor causas considerandas putavit, videlicet efficientem, formalem, materialem, & finalem. Si ad causam Efficientem & Formalem respicias, dicito unum esse testamentum patris, & filii, cum una sit causa efficiens, qui est ipse testator, id est, ipse pater; una etiam forma, cum una patris & filii testamenti sit forma. Si ad Materiam respicias, duo dicenda sunt testamta, quippe cum duæ sint hæreditates, altera patris, altera filii, idemque respectu finis, cum duo sint fines: per testamentum enim patris, ipsimet patri; per pupilli testamentum, ipsi succeditur. Licet ergo diversis respectibus, interdum patris, interdum filii testamentum dicatur pupillaris substitutio, re tamen vera patris testamentum est; ipse enim tantum testatur, non filius. Quod etiam in effectu voluit Joannes Oinotom. *ad titulum Institut. de pupill. substit. de compendiosa substit. n. 14.*

Quo vel solo verbo, primum & secundum fundamentum diluitur, quod pro contraria parte adducebamur.

K 2

mus

mus *supra*, quia testamentum hoc ex nullo alio, quam patris testantem pendet arbitrio. Item ejusdem patris, cuius verè testamentum est, sententia dicitur pupillaris substitutio, & ab ejus voluntate pendere; quapropter ex rigore juris, matrem, & alios successores ab intestato excludit, etiam à Legitima, l. *Papinianus*, §. *sed nec impuberis*, ff. *de inofficioso testamento*, quoniam illis nullum pietatis officium debet, ut eis Legitimam reservare teneatur; quippe cum respectu ejus, qui verè testamentum facit, Legitima aliqua non debeat: unde cessat argumentum contra Bartolum, ex dict. §. *sed nec impuberis*, deductum, quo præcipue movebatur Trentacinq. de substitutionibus, part. 2. quæst. 1. n. 7.

Nec etiam obstat tertium fundamentum, in contrarium adductum *supra*, n. 3. ante finem, quia filius tam conjunctus est patri, ut idem censeatur esse cum filio, & quicquid olim quærebat filius, quærebat patri, cujus in potestate erat: quare substituens pupillo pater, non videbatur in alienis, sed in suis bonis hæredæ scribere, etiam si ex successione matris, aut aliunde quæsitæ bona filius haberet, vel post mortem patris intra puberes annos ipsis obveniret; quare nemo fuit, qui ea ætate, puero, aut infanti melius providere potuisset, & propter prædictam conjunctionem perinde haberi debuit, ac si filius ipse testaretur. Quod post alios antiquos non malè animadvertunt Alciatus in rubrica, ff. *de vulg. & pup. substitut. n. 21. & seqq.* Galiula in l. *Centurio*, ejusdem tituli, num. 175. D. Spino in speculo testamentorum, glos. 23. num. 4. Antonius Pichardus in rubrica, *Institut. de pupillari substitut. num. 16.* elegantius & alii, quos ipsi non referunt, Connanus, inquam, commentariorum juris civilis, lib. 10. cap. 8. n. 1. ante finem, fol. 797. Baconius *de declarationum juris*, lib. 4. declarat 63. n. 5. Petrus Gregorius in *synagmate juris*, lib. 42. c. 23. n. 4. ultra quos & alia ratio considerari potest, propter quã pupillariter substituendi facultas patri concedi debuit: nam cum lex duodecim Tabularum permitteret ipsi patri, ut in testamento disponere posset de persona filii impuberis, durante pupillari ætate, l. 1. ff. *de testamentaria tutela*, l. *verbis legis*, ff. *de verborum significatione*, ibi: *Super tutela rei sue*. Absurdum videretur quidem, ut patri, cui liberè disponendi de persona pupilli facultas commissa erat, de bonis etiam disponere usq; ad eam ætatem, facultas non committeretur, argumento textus in l. *in suis*, ff. *de liberis & posthumis*, ibi: *Quos & occidere licebat*. Et in l. *qui ex liberis*, §. *testamento*, ff. *de bonorum possessione secundum tabulas*, ibi: *Cum capite fortunas quoque suas*, in l. *non debet*, ff. *de regulis juris*, cap. *ita licet*, eodem titulo, lib. 6. quam rationem licet non ita exactè, præsentire videtur Petrus Gregorius in *synagmate juris*, lib. 42. dict. cap. 23. n. 5. Denique non obstat, quod de exemplari substitutione, contra sententiam Bartoli dicebat Politus loco relato *supra*, cui & ipsemet responsum præbuit; addiderim ego, Exemplarem substitutionem à Pupillari in multis differre, ut certum est, & late tradiderunt post ordinarios multos, Menchaca de *successionum progressu*, lib. 2. §. 17. per totum. Guilielmus Benedictus in cap. *Raimuntius de testamentis*, verbo, si absque liberis, el *segundo*, tractatu de *exemplari substitut. per totum*. Covarruvias *ibidem*, §. 6. Antonius Gomezus tom. 1. *variarum*, cap. 6. Doctor Spino in speculo, Glos. 25. per totam. Hippolyt. Riminaldus in *conf.* 736. lib. 7. Alexander Trentacinq. de *substitut. 3. part. cap. 1. cum seqq.* Mantica de *conjecturis ultimarum volunt. lib. 5. tit. 17.* Antonius Pichardus in §. *qua ratione*, per totum, *Institut. de pupillari substitut.* & *ibidem* Joannes Oinotom. de *exemplari substitutione*, in principio.

Deinde, non sequitur ad exemplum Pupillaris; Exemplaris substitutio fuit introducta: ergo utraque ex humanitate fuit inventa, nam in l. *humanitatis*, C. *de impuberum*, humanitatis ratio exprimitur in exemplari, quæ in pupillari nunquam exprimitur: quod in contrarium non leve præstat argumentum, ut vides; potuit

ergo ex humanitate introduci. Exemplaris substitutio ad exemplum Pupillaris, quæ ex rigore fuit introducta. Et hæcenus de hac quæstione, quæ dilucidè, & distinctè magis, quam antea erat, remanet explicata.

CAPUT XV.

Substitutio Pupillaris quare introducta.

Substitutio Pupillaris quare introducta; curiosa magis in Scholis, quam in praxi necessaria quæstio; nunc tamen breviter, & dilucidè magis: quam antea fuerat, explicata.

SUMMARIUM.

- 1 Substitutio Pupillaris quare introducta? & *ibidem* plures rationes adductæ, remissivè.
- 2 Substitutionis Pupillaris introductionem summa niti ratione, atque æquitate, & filii impuberis, pro quo testatur pater, maximum favorem continere, & commodum; patris etiam, cui pro filiis ac de bonis eorum testari lex permisit, cum antea sibi ipsi tantummodò testari posset, ut ad finem capitis dicitur, ubi ejusdem patris favor in alio consideratur.
- 3 Substitutionem Pupillarem ex sententia communi omnium Scribentium, ideo introduci necessarium fuisse, quod filius intra pupillarem ætatem testari non posset.
- 4 Idcirco adveniente pubertate extingui, quoniam in ea ætate jam filius testari potest.
- 5 Substitutionis Pupillaris introductionis potissima ratio adducta.
- 6 Substitutionis Pupillaris introductionis rationem inquirentes Doctores, omnes fere in unum finem, eandemque rationem tendere ignominie dumtaxat rationem à Recentioribus expressam.

Resolutioni traditæ *supra*, cap. præcedenti, proxima est hujus Capituli dubitatio, & resolutio, quare scilicet Pupillaris substitutio sit introducta? Et pro vera, distinctaque explanatione constituo, Guil. Benedict. in cap. *Raimuntius de testamentis*, verbo, si absque liberis, de pupillari, n. 2. rationem unam tradidisse, aliam Bolognetum in rubrica, ff. *de vulg. & pup. substitut. n. 7. & 8.* nonnullas Menchacam de *successionum progressu*, lib. 2. §. 14. n. 35. & 39. & n. 54. Politum in tractatu de *substitutionibus de pupillari*, n. 7. in fine. Franciscum Connanum commentariorum juris civilis, lib. 10. cap. 8. n. 1. Petrum Gregorium in *synagmate juris*, lib. 42. cap. 23. ex n. 4. cum seqq. Caldum Pereiram referendum statim, & Joannem Oinotom. in princ. *Institut. de pup. substitut. n. 3.*

Deinde, præfatos Authores & alios plures relatos ab eis, quos ideo silentio duxi prætermittendos, nonnullos etiam Recentiores referendos *infra*, convenire in hoc, videlicet substitutionis Pupillaris introductionem summa niti ratione, atque æquitate, & filii impuberis, pro quo testatur pater, maximum favorem continere, & commodum; patris etiam, cui pro filiis, ac de bonis eorum testari lex permisit, cum antea sibi ipsi tantummodò testari posset, ut etiam notavit Caldas de nominat. *emphye. quæst.* 8. n. 29.

Præterea, convenire etiam in alio; ideo Pupillarem substitutionem introduci necessarium fuisse, aut ideo introductam, quod filius, propter ætatis imbecillitatem testari non posset: idcirco adveniente pubertate extingui, quoniam in ea ætate jam filius testari potest, l. *qua* 4. *ætate*, cum vulgatis, ff. *de testamentis*.

Denique substitutionis Pupillaris introductionis potissimam rationem, consideratam ab Alexandro Trentacinq. de *substit. 2. part. cap. 3. n. 1.* qui tacuit Paulum Leonium sic ante ipsum dicentem in tractatu de *substitut. de pupillari*, num. 34. & 35. Menchacam de *successionum progressu*, lib. 2. §. 14. n. 4. consideratam etiam

etiam per Doctorem Spino in *speculo testamentorum*, glos. 22. n. 4. in princ. Antonium Pichardum ad rubricam, *Institut. de pupillari substitut. num. 14.* qui etiam Leonium, Menchacam, Trentacinq. & relatos *supra*, in initio, tacuerunt, hoc est, honestum olim, ac honorificum; & utile visum fuisse cum hærede decedere, l. *quia*, ff. *de interrogatoris actionibus*, l. *si pupillus*, 42. ff. *de acquirenda hæreditate*, & è contra, ignominiosum, propter rationem textus in §. 1. *Institut. quibus ex causis manumittere licet, vel non*, §. 1. *Institut. de hæredum qualitate*, & *differentia*, ubi Viglius n. 2. adnotavit: latius Joannes Oinotom. ex num. 7. cum seqq. Connanus etiam commentariorum juris civilis, lib. 10. cap. 5. n. 2. dicens, ideo moribus receptum fuisse, ut pater pro filiis impuberibus testaretur, ne pupillus sine hærede decederet, qui propter defectum ætatis, sibi hæredem scribere non poterat; idque intra pupillarem dumtaxat ætatem, in qua pupillus testari non valet, ut dicit textus in l. 2. ff. *de vulg. & pup. substit. in princ. Institut. de pupillari substitutione*, l. 5. tit. 5. partia 6. Et sic succurrit est per substitutionem Pupillarem absurdo, aut inconvenienti prædicto, ex eisdem Authoribus, qui in effectu substitutionis pupillaris introductionis rationem reddentes, omnes fere in unum finem, eandemque rationem tendunt; ignominie dumtaxat verbum, aut rationem Recentiores nostri adjecerunt; ac denique rectè percipit Bolognetus in rubrica, ff. *de vulg. & pup. substitut. n. 8.* ubi etiam optimè expendit favorem patris in hoc, cum introductæ pupillari substitutione, potestatem accipiat à lege testandi, non solum sibi ipsi, sed etiam filio; & quamvis aliàs decedente pupillo intra pupillarem ætatem, necessario succursuri essent venientes ab intestato, data est potestas ipsi patri excludendi illos, & personas magis dilectas substituendi, ut capite superiori dicebam, & probat textus in l. *Papinianus*, §. *sed nec impuberis*, ff. *de inofficioso testamento*, cum aliis vulgatis,

CAPUT XVI.

De fide & autoritate Instrumentorum.

De instrumentorum autoritate & fide, tam quæ orignalia, quam quæ exemplaria sunt; item de his, quæ in ipsorum contectione, ut solemnia sint, intervenire debent: qualiter, & per quos testes impugnari possint, quibus ex causis suspecta, aut falsa reddantur, ut non, vel minus probent, adversus quatuorunque suspiciones falsitatis, quibus rationibus defendantur, ac denique de protocolis, seu registris, nonnulla breviter, & distinctè traduntur in hoc cap. quæ utilia sunt, & in praxi frequenter contingunt, nec absque ingenti & assiduo Scribentium omnium studio in unum recenseri potuissent.

SUMMARIUM.

- 1 Author reddit rationem, quã præcipue movetur ut hujus Capituli materiam scribat.
- 2 Instrumenti publici solemnia necessaria censeri nonnulla, sine quibus minimè consequitur publicam auctoritatem, nec authenticam fidem: quorum septem, quæ potissima sunt, ut instrumentum dicatur solemnè, adducit Didac. Covarruv. hoc num. præcitatus; & late prosequuntur alii, qui ab Authore recensentur *ibidem*.
- 3 Instrumentum habens solemnia, præsumitur verum, validum, & solemnè.
- 4 Et dicitur probatio probata.
- 5 Dicitur etiam evidentissima, ac plenissima probatio; ideo pro instrumento est magna præsumptio; & illi

fatur, atque fides integra adhibetur, donec contrarium manifestissime probetur.

- 6 Instrumentum plenam facit probationem, probatam, evidentem, ac manifestam, evidentissimam, realem, indubitatam, & notoriam, nec indiget disceptatione fori, & habet vim decisionis causæ, & ex eo fundatur intentio.
- 7 Instrumentum plenam fidem facere, in solidum, & quoad omnia, ita ut omnes clausule in eo contentæ, censeantur adjectæ à Tabellione ex voluntate contrahentium, & ipsis petentibus.
- 8 Habet enim pro se instrumentum tres præsumptiones. Prima est, quod sit verum & non falsum, nequissimum. Secunda, quod sit solemnè. Tertia, quod scilicet omnia in eo scripta, de voluntate partium scripta censeantur.
- 9 Instrumentum probare non solum id, quod expressè; & directè continetur in eo, sed etiam id, quod indirectè: & *ibidem* de intellectu text. in cap. cum olim, de censibus, remissivè.
- 10 Instrumentum in longinquis partibus confectum, utrum probet, quando apparet, in eo publicam, & solemnem formam intervenisse.
- 11 Instrumento fidem adhibendam esse, cui alioquin iure fides adhibenda est, quamvis non appareat protocolium.
- 12 Instrumentum ita demum probationem plenam inducere, si Notarius sit omni exceptione major; quod necessarium est, ut ejus instrumentis plena fides adhibeatur.
- 13 Instrumentum reddi suspectum ex qualitate scribentis, ut quia alias fecerit scripturas falsas, qui illud composuit, vel ex qualitate scripturæ, vel ex persona producentis, item ex vitio visibili, ideo instrumentum factum à Notario suspectum non probare.
- 14 Instrumentum utrum probet, vel de falso suspectum sit, quando Notarius fuit condemnatus de falso in officio, vel extra officium: & an ex falsitate unius Instrumenti resultat suspicio falsitatis, respectu aliorum Instrumentorum, remissivè.
- 15 Et hac de re commendatus Fulvius Pacianus de probationibus, lib. 2. cap. 22. per totum, ubi in proposito plures casus distinguit.
- 16 Instrumentum non continens verisimile suspectum præsumitur & falsum, & non probat.
- 17 Instrumentum interlineatum, cancellatum, abrasum; apostillatum, & diversa manu, vel avaramento scriptum, auctum, vel diminutum, an fidem faciat? & duobus num. seqq.
- 18 Apostilla in margine protocoli, manu ejusdem Notarii, qui contextum scripsit, apposita, an fidem faciat? remissivè.
- 19 Instrumentum rasum an dicatur suspectum, si in parte substantiali sit rasum? & quæ dicatur pars substantialis? & *ibidem* de protocollo in parte substantiali raso, remissivè.
- 20 Instrumentum non probare, quando suspicio falsitatis oritur ex vitio latenti, aut visibili ipsius instrumenti: tunc enim sola suspicio falsitatis habetur pro falsitate ne instrumentum fides detur.
- 21 Nisi suspiciones essent leves, & fragiles.
- 22 Vel nisi adessent probationes veritatis in contrarium, ex quibus instrumentum ipsum coadjuvari potest testibus instrumentariis & scripturis aliis.
- 23 Item nisi præsumptiones validiores adsint pro instrumento, quam sint suspiciones, quæ contra instrumentum allegantur.
- 24 Vel si accedat bona fama, & opinio Notarii, quæ est sufficiens præsumptio etiam sola ad tollendas plures alias præsumptiones, quæ in contrarium occurrerent.
- 25 Instrumenti falsitatem, præsumptionemve, aut suspensionem falsitatis instrumenti argui ex multis, quæ remissivè recensentur hoc num. ubi refertur Menochius decem casus congerens: adducitur etiam Mascardus,